

12 Philosophiæ sacræ Cap. XXXIII.

**P R O P. 3.** factus) dolet de facto; indicat hoc ipso, se habuisse interpretatiæ, quasi dicas implicitè ac virtualiter, vel saltem habitualiter, appetitum contrariorum; atque adeo se fecisse inuoluntarie, saltem secundum illam rationem turpis vel incommodi, &c. minus perspectam ob defecum cognitionis. Si vero non doleat de facto, (doleat, inquam, vbi dispositionis, quæ tunc erat in voluntate) ostendit se non habuisse huiusmodi appetitum interpretatiuum: & consequenter se non fecisse inuoluntarie; sed ad summum non voluntarie; quod hanc eandem rationem. Cæterum hæc ipsa secunda propositionis pars melius intelligetur ex dicendis de ignorantia prop. sequenti.

P R O P O S I T I O IX.

*Factum ex ignorantia antecedente est inuoluntarium simpliciter: ex comitante non voluntarium: ex consequente autem potest esse voluntarium simpliciter.*

a Ignorantia  
antecedens  
respectu vo-  
luntatis, &  
respectu op-  
eris.

b Vt in eo qui  
occidit amicū  
putans occi-  
dere feram.

c Factum ex  
hæc ignora-  
ntia est quan-  
doque non  
voluntarium  
præcise.

d Ignorantia  
comitans est  
respectu vo-  
luntatis ante-  
cedens, sed  
non respectu  
operis.  
e Vt in eo qui  
ferit inimicū,  
putans ferā.

f Quid si  
ignorantia  
consequens  
item affecta-  
ta, et raffra-  
ca supina?

**E**xpliatur, & probatur simul prima pars, ex eo quod a ignorantia Antecedens est ea, quæ & antecedit omnem actum voluntatis; ut ex nullo sive expresso, sive implicito oratur ( propereaque dicitur inuincibilis, inculpabilis, inuoluntaria) & simul antecedit opus in ratione cause (causa, inquam, per accidens; quia ignorantia, cum sit solum negatio; causat tantum per modum remouentis prohibens; scilicet remouentis notitiam oppositam, que prohiberet sive impedit opus ita vt sit causa quod opus fiat: quatenus, vt supponitur, non fieret opus si adesse scientia opposita. b Exemplum est in eo, qui sagittans in feram, postquam fedulo circumspexit ne quem feriat hominem; calu occidit amicum. Hic certe quia fedulo circumspexit, inuincibiliter, & inculpabiliter, & minime voluntarie ignorat ibi esse amicum; adeoque hæc ignorantia est antecedens respectu operis ipsius; hoc est, non est vllatenus volita. Deinde venator iste habet formaliter, aut virtualiter, aut saltem habitualiter volitionem remittentem occisioni amici; nam si sciret ibi esse amicum expositum sagittar, non iaceret sagittam: & hoc bene testatur dolor, quem ex occidente percipit. Ergo hæc ignorantia est causa eius occisionis. Ergo hæc ignorantia est vere, dicto utroque capite antecedens. Et quia, vt patet, hæc ipsa occiso est simpliciter inuoluntaria; utpote cum sine cognitione fiat, vt contra inclinationem voluntatis; et tamen ratio de aliis similibus: consequenter factum ex ignorantia antecedente est inuoluntarium simpliciter.

Id tamen in haudi impedit quin huiusmodi factum, sit quandoque etiam solummodo non voluntarium; verbi gratia, quando ita parvi momenti est opus ita factum; vt qui fecit non doleat, vi voluntatis, quam actu vel habitu habebat quando faciebat (vt & dicebam prop. 8 num. 4) quod addo; quia ex dispositione, quæ tunc erat, voluntatis expedi debet voluntarium aut inuoluntarium, vel non voluntarium, vt pro tunc; non autem ex voluntate, quæ postea suscipitur. Quod est valde notandum.

Expliatur, & probatur secunda pars, ex eo quod d ignorantia Comitans dicitur ea, quæ est quidem antecedens respectu voluntatis operis, vt de altera iam dictum est: sed non est perinde antecedens respectu operis; quia scilicet non est causa eius. Hoc autem ipso intelligitur non esse causa operis; quod perinde (vt supponitur) fieret opus, quamvis adesse opposita scientia. Exemplum sit in eo, e qui volens configere feram, ac fedulo circumspiciens ne quem feriat hominem, configit inimicum. Ignorantia hæc vt patet, est antecedens, & inuincibilis propter adhibitam moralam diligentiam, quia vincit non potuit; & non est voluntaria, quia nec volita: ergo est antecedens respectu voluntatis. Respectu vero operis, videlicet occisionis inimici, non est antecedens, quia non est causa eius; hoc ipso quod perinde ille occidisset, quamvis id resciueret. Præterea hæc occiso, vt patet, non est voluntaria, utpote nec voluntas cum sine cognitione sui ipsius non potuerit esse volita: ergo est etenim non voluntaria: non autem est inuoluntaria, quia non est contra inclinationem voluntatis occisoris; qui non tantum non dolet propter hoc, sed etiam letatur. Ergo opus ex ignorantia Comitante factum est solummodo non voluntarium.

Expliatur, & probatur tertia pars, ex eo quod f ignorantia Consequens est ea, quæ consequitur aliquæ voluntatis actum, quo directe sive explicite; vel indirecte sive implicite, & in confuso volita est; propereaque est voluntaria, inuincibilis & culpabilis; qualis foret in eo qui nolle interesse sacro ne ieiunia indicta audiret; & ita liberius indulgeret genio. Nam in eo casu ignorantia ieiunij est volita, non tantum in volitione absentia à sacro, id est, indirecte, & implicite; sed etiam directe & expresso actu, quo ille vult nescire ieiuniū; ideo enim vult abesse à sacro. Et huiusmodi ignorantia dicitur affectata. Alia quippe est ignorantia Consequens, quæ non sic est affectata; quæ videlicet tantum indirecte & implicite volita est: vt cum aliquis, licet non actu expresso velit ignorare, omittit nihilominus convenientem noti-